

alios omnes mundi Monarchas extollit, quando alii Monarchæ nati sunt, hic vero regna, et imperia suis lacertis, et armis comparavit. S. CHRYS., h., de David et Saule.

O quam magnis homines erroribus tenentur, qui jus dominandi trans maria cupiunt mittere, felicissimosque se judicant, si multas per milites provincias obtinent, et novas veteribus adjungunt, ignari, quod sit illud ingens paratumque regnum. RODR., p. II, tr. I, c. XVII. Imperare sibi, maximum imperium est. SENECA, ap. 113.

JUCUNDITAS. — S. Abraham convivium fecit, non in die Nativitatis, sed ablaetationis; quo indicare voluit Deus, tunc demum solidæ veræque lætitiæ locum esse quando homo in virum perfectum crescit, et desinit esse inter eos, de quibus Apostolus ait: Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi. S. AUG., sup. Gen. 21, q. 50.

Hoc commentemur, mihi crede, disjungam usque nos a corporibus, id est, consuescamus mori (nobis ipsis). Hoc, et dunt erimus in terris, erit illi cœlesti vitæ simile. Et cum illac emissi feremur e vinculis, minus tardabitur cursus amicorum. CIC., l. I, Tusc. 1.

AXIOMATA.

Tantum proficies, quantum tibi vim intuleris. THOM. KEMP., l. I, c. XXV.

Major sum, et ad majora genitus, quam ut mancipium sim mei corporis. SENECA, ap. Rod. 2, p. II, tr. I, c. XIX.

Si vis perfectam bene discere Philosophiam,

Omnibus abstineas, omnia sustineas.

Si vis perfectam condiscere Theologiam,

Sit tibi mors mundus: sit tibi vita Deus,

Imperare sibi maximum est imperium. SEN., ep. CXIII, juv.

Tunc omnia jure tenebis, si poteris Rex esse tui. WIDO, de Tranquil. anim., in Dial.

Tantum virtuti adicies, quantum voluptati detraxeris. S. CATH. SEN.

Tantum quisque vivit Deo, quantum moritur sibi.

Maxima, quæ minimo victoria sanguine parta est.

AUCTORES.

Alphonsus Rodriguez, p. II, tr. I, toto. Franciscus Arrias, in 3 Tractatibus spiritualibus, tr. III.

Julius Fatus de Mortificatione.

Jacobus Alvarez, tom. II, lib. II, toto.

Jeremias Drexel, in Rosis Marianis, p. II, c. X.

Lucas Pinellus, de Perfect., l. III, c. VII.

Bernardinus Rosignolius, de Disciplina Christ. Perfectionis, l. II, c. IX et seqq.

Joannes Busæus, in Panario. V Immortificatio Passionum.

Hugo Rott., in via Regia, p. I, c. VII, s. 6, et p. II, c. XIX.

Cassianus, collat. 24, Instit. spirit.

Josephus Mansi, Bibl. mor., tr. LI.

MULIER.

QUOD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est homo ad liberos passive procreandos a Deo creatus; per hanc enim passivam generationem (saltem in actu primo) distinguitur mulier a viro, quod a fortiori locum habet in ea medicorum sententia, qui solum virile semen ad generationem necessarium esse contendunt.

DIVISIO. — Dividitur in *Calibem* seu *solutam*, quæ nulli unquam viro nupta fuit: *Conjugatam*, quæ vinculo Matrimonii actu illigata est: et *Viduam*, quæ per mortem mariti a conjugii vinculo soluta est.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Virum de mille unum reperi (perfectum intellige, et præditum mulierem ex omnibus non inveni. ECCL., VII, 29.

Fallax gratia, et vana est pulchritudo, mulier timens Dominum ipsa laudabitur. PROV., XXXI, 30.

Mulieres in habitu ornatu, cum verecun-

dia et sobrietate ornantes se, et non in tor-tis criminibus, sed quod deceat mulieres, promittentes pietatem per opera bona. I TIM., II, 9.

Mulier sensata, et tacita non est immutatio eruditæ animæ (id est, non est ullo pretio comparabilis). ECCL., XXVI, 18.

Gratia super gratiam mulier sancta, et pudorata. IB., XIX.

Mulierem fortem quis inveniet? procul et de ultimis finibus pretium ejus. PROV., XXXI, 10.

Mulieres subjectæ sint viris suis, sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris. EPHES., V, 22.

Mulier non permitto dominari in virum, sed esse in silentio. I TIM., II, 12.

Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui. GEN., III, 17.

Non induetur mulier veste virili, abominabilis enim est apud Deum, qui hæc facit. DEUT., XXII, 5.

UTILITAS. — Qui invenit mulierem bonam invenit bonum et hæriet jucunditatem a Domino. PROV., XVIII, 22.

Mulieris bonæ beatus vir, nam numerus dierum ipsius conduplicatur. Mulier fortis oblectat virum suum, et annos vitæ illius in pæce implebit. ECCL., XXVI, 1.

Pars bona mulier bona: in parte bona timentium Dominum dabitur viro pro factis suis.

Noli discedere a muliere sensata, et bona, quam sortitus es in timore Domini; gratia enim verecundiæ illius super aurum. IB., VII, 12.

Sapient mulier ædificat domum suam: insipiens extractam quoque manibus destruet. PROV., XIV, 1.

DAMNUM. — Inveni amariorem morte mulierem; quæ laqueus venarum est, et sagena cor ejus, vincula sunt manus illius. Qui placet Deo, effugiet illam; qui autem peccator est capietur ab illa. ECCL., VII, 25.

Brevis omnis malitia super malitiam mulieris. Sors peccatorum cadat super illam. IB., XXV, 16.

De vestimentis procedit tinea, et a muliere iniquitas viri. IB., XLII, 13.

A muliere factum est initium peccati, et per illam omnes morimur. IB., XXV, 33.

Vinum, et mulieres apostatate faciunt sapientes, et arguent sensatos. IB., XIX, 8.

Melior est iniquitas viri, quam mulier

benefaciens et mulier confundens in opprobrium. IB., XLII, 41.

FUGA. — Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo ut vestimenta illius non ardeant, aut ambulare super prunas, ut non comburantur planta ejus; sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus, cum tetigerit eam. PROV., I, 27.

In medio mulierum noli commorari, de vestimentis enim procedit tinea, et a muliere iniquitas viri. ECCL., XLII, 12.

Commorari leoni, et draconi placebit magis, quam habitare cum muliere nequam. IB., XXV, 23.

Averte faciem tuam a muliere compta, et ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt, ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. ECCL., IX, 8.

Ne attendas fallaciæ mulieris, favus enim distillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur ejus; novissima autem illius amara quasi absinthium, et acuta quasi gladius biceps. PROV., V, 3.

Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam, et confundaris. ECCL., IX, 2.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Quid est speciosa mulier? sepulchrum dealbatum, nisi fuerit casta, et pudica. Pulchritudo autem sine his virtutibus est præcipitium patens, venenum insipientibus compositum. S. CHRYS., sup., ps. L.

Habitare cum femina, et non cognoscere feminam plus est, quam mortuum ad vitam suscitare. Quod minus est, non potes: quod majus est, vis, credam tibi? S. BER., s. 63, in Can.

Est ordo naturalis in hominibus, ut serviant feminae viris: quia et illic justitia est hæc, ut infirmior ratio serviat fortiori? et hæc in dominationibus et servitutibus clara justitia est, ut, qui excellunt ratione, excellent dominatione. S. AUG., e. CLIII, in Genes.

Mulier pulchra cito adamat, facile concupiscitur, difficile custoditur, quod plures amant. Molestum est possidere, quod nemo habere dignetur, minore tamen miseria deformis habetur, quam formosa servatur. S. AUG., in Epist.

Audax est ad omnia, quæcumque amat vel odit femina, et artificiosa est nocere cum vult. VALER., in ep. ad Ruf.

Mulierem constat subjectam dominio viri esse, et nullam auctoritatem habere: nec docere potest, nec testis esse, nec fidem dare nec iudicare. AMBR., IX, l. Nov. et Vet. Test.

Femina dum maritatur, ut se noverint semper maritis suis subdita esset humiles. ISIDOR.

Femina viri portio est. CYPR., de hab. Virg.

Muliere bona, nihil potentius. CHRYS., sup. Joan., h. LX.

DAMNUM. — Cum femina dominatur in virum, perversa et misera domus est. IDEM, de Cat. rud.

Nihil esse sentio, quod magis ex arce deiciat animum virilem, quam blandimenta femina, cordumque ille contractus, sine quo uxor haberi non potest. IDEM., l. VIII, Soliloq.

Quid aliud est mala mulier, nisi amicitia inimica, ineffugabilis pœna, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura boni colore depicta. S. CHRYS., sup. Matt. xix.

Experto credo, coram Deo non mentior: cedros Libani, Duces gregum, sub hac peste concidisse reperi, de quorum casu non magis suspicabar, quam Hieronymi, vel Ambrosii.

Post confessionem, victoriarumque calcata certamina, post magnalia et signa mirabilia, noscuntur in his omnibus naufragasse, cum volunt in navi fragili navigare. Quantos Leones domuit una infirmitas delicata. S. CYPR., de Sign. cler.

Ante ignem consistens, etsi ferrensus sis, aliquando dissolveris: proximus periculo, diu tutus non eris. S. ISIDOR., l. II, Solil.

Animum ferit, et commovet non impudicæ tantum, sed pudicæ quoque mulieris oculus. S. CHRYS., l. de Sacerd., c. viii.

FUGA. — Hospitium tuum aut raro, aut nunquam mulierum pedes tereant: omnes puellas, aut virgines Christi, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Vide, ne sub eodem tecto manseris, ne præterita castitati confidas. Non es Sampson fortior, nec Davide sanctor, nec Salomone sapientior, memento semper, quod Paradisi colonum de possessione sua mulier ejecit. S. HIER., in ep. ad Nep.

Matrem tuam ita vide, ne per illam alias videre cogaris, quarum vultus cordi tuo hæreant, et tacitum vivat sub pectore vultus. Ancillulas, quæ illi in obsequio sunt, tibi scias esse in insidiis: et quanto vilior est earum conditio, tanto facilior est ruina. IDEM.

De carbonibus scintilla dissiliunt, de ferro rubigo nutritur, de vestimentis procedit tenebra, de muliere peccati aculeus, sibilus concupiscentiæ, fomes pestilentia. S. CYPR., de fing. Cler.

EXEMPLA.

FUGA. — S. Augustinus ne germanam quidem sororem, aut filiam fratris sui in domo sua habitare permisit, causamque rogatus dixit: Quia licet de sorore aut nepte non sit suspicio, tamen illæ, quæ ad eas ventitant, suspicionem possunt movere, et inde infirmioribus scandalum nasci. Vita, c. xxvi.

S. Hieronymus, ut ab hac pugna se expediret, inter feras et lustra vitam egit; cumque Vigilantius illi objiceret, hoc non esse pugnare, sed fugere, respondit: Fateor imbecillitatem meam, nolo spe pugnare victoria, ne perdam aliquando victoriam. S. HIER., Ep. XLVII.

S. Simeon Stylita nullam unquam mulierem post conversionem oculis intentis aspexit: postquam vero columna editorum se sanctitate fervens invexit, non modo extraneæ mulieri, verum etiam nec propria matri se videndum præbuit. S. GREG. TUR., l. de Glor. Conf., n. 26.

S. Franciscus Seraph. adeo averterat oculos, ne ullam mulierem videret, ut, sicut ipso socio fassus est, nullam de facie nosset; non enim securum putabat, earum formam introrsus haurire imagines, quæ possunt aut indomita carnis excitare igniculum, aut pudicæ mentis maculare nitorem. Vita, c. v.

Idem B. Rugerius Franciscanus fecerat, cumque Confessarius ejus rogasset, cur ita fugeret aspectum feminarum, cum puritatis dono a Deo donatum se sciret, respondit: Dum homo facit, quod in se est, Deum quoque, facere quod in ipso est, et hominem custodire a lapsu: sed dum homo permittit naturam libere ferri in ea, ad quæ propendet,

tunc Deum permittere, ut homo, sufficienti tantum auxilio adjutus cadat facile. CIRON. FRANCISC., p. II, l. IV, c. LI.

S. Ludovicus Episcopus Tolosanus colloquia feminarum prorsus abhorrebat, præcipue secreta, adversabatur aspectus absque probo teste et arbitro, solus non loquebatur ulli mulieri, nisi forsam matri aut sororibus. In testimonium illibatae pudicitia, semper cum illo duo fratres minores in cubiculo dormiebant. Cavebat omnes suspiciones, quidquid probabiliter fingi poterat, ante, ne fingeretur, devitans. Vita, c. XIV.

S. Andreas Corsinus, adeo castimonie deditus fuit, ut ne matris quidem, et sororum colloquia sene rubore sustineret: aliarum vero mulierum aspectus rejiceret prorsus, aut si necessitas urgeret, non nisi defixis in terram oculis eas colloqueretur ob quam severam oculorum, sensuumque custodiam, dum Parisiis ageret, frater cæcus, surdus, mutusque appellabatur. LANCZ., op. 2, n. XIV.

S. Sabbas Abbas cum advertisset multos aliquam mulierem comitatos esse, socium suum probare volens dixit: Compatrio huic mulieri, quod unum dumtaxat oculum habeat; cui cum socius responderet, utroque, et quidem eleganti esse præditam, ergone eam, inquit, vidisti? discede, nolo talem socium, qui sit tam curiosus. IDEM.

Reverendissimus Antistes Gropperus, cum Bonnae per diem comperisset ancillam in cubili suo lectum sternentem, ancillam cubiculo, et simul lectum per fenestram in plateam deturbavit. ENGELG., Embl. 42, § 3.

Joseph Patriarcha formosus adolescens, ab uxore Putipharis ad turpitudinem allectus, fuga relicto in ejus manibus pallio, tentationem fortiter repellit et vincit. GEN., xxxix.

D. Bernardo, eleganti corpore adolescente et jam sæculum ingrediendi plures se viæ sæculi ipsi offerre coeperunt, et omni assurgere prosperitati vitæ hujus et magna spes undique arripere. Obsidebant autem benignum juvenis animum sodalium dissimiles mores, et amicitia procellosa, similem sibi facere gestientes: quæ si ei dulcescere perstitissent, necesse erat amarescere illi, quod in hac vita dulcius cordi ejus insederat, castitatis amorem. Cui præcipue invidens tortuosus coluber, spargebat

laqueos tentationum, hac variis occurribus calcaneo ejus insidiabatur. Unde cum aliquando matrona quadam pulchritudine, divitiis, cultu et aliis hujusmodi irritamentis concupiscentiæ et peccati præcellens, in secretorii domus cubiculo cum aggressa pertraheret ad peccatum, ille eam lenibus verbis demumescens, donec et manibus ejus et amplexibus elaboretur, fugit et evasit. GULL. ABB., l. I, de Vit. S. Bernar.

DAMNUM. — Canonicus quidam cum canonicatum præpinguem in curam animarum convertisset, ut eas Deo lucrifaceret, septuagenariam virginem, quæ cilicium ejus lavare solebat, deperire cepit, et opportunitate plectus vitavit. Quo scelere admisso, illa quidem penitens resipuit, at ille infixus limo profundo, misere perit. CANTIER. l. II, Apun., c. xxx, § 47.

EXEMPLA DOMESTICA.

Sanctus Ignatius omnium mulierum familiaritatem, etiam eorum, quæ spirituales aut sunt, aut viri volunt, vitandam esse dicebat: sed earum maxime, quæ ætate, conditione, statu periculosiores sunt. Quarum ex consuetudine plerumque, aut fursum sequitur, aut flamma. RIBAD., l. X, c. xi.

S. Franciscus Xaverius Gaspari Vicario dans monita, inter reliqua dicebat: « Cum mulieribus cujusvis conditionis non nisi luce palam atque in publico, hoc est, in aede sacra colloquere. Nec unquam domum ad eas ibis, nisi forte graviori aliquo casu cogente veluti agræ ejuspiam confessionem excepturus ac tum curandum erit, ut illius maritus adsit, ad cognatus aliquis, aut certe vicinus idoneus. Si forte virginem aut viduam convenire oportebit, ad ejus domum accedes, viris spectate vitæ comitantibus, quorum scilicet comitatus non solum offensionem, sed etiam suspicionem hominum excludat. Talia vero officia conveniendarum mulierum, et rara sint, et necessaria. Quippe lubricum esse negotium, ubi minimum luci sit maximo periculo.

Beatus Aloysius adeo mulieres fugiebat, ut ei nativum cum his discordiam intercedere diceret; nullam certe etiam consanguinitate conjunctam aspiciere sustinebat. Vita.

P. Baltassar Alvarez, ne solus esset cum femina nunquam sedebat, priusquam socio sedes afferretur. Majorem vero dicebat cum feminis spiritualibus cautelam adhibendam, eo quod spiritualis amor soleat transgredi limites suos, et fieri carnalis. Sicut optimum vinum in fortissimum acetum convertitur, quod tamen non advertitur, donec voluntes ita agglutinatae sint, ut potius a Christo, quam a se mutuo discedant, et separentur. *Vita*, c. v.

Alphonsus Rodriguez, etsi per quadraginta annos janitor fuerit, nullam tamen feminam de facie noverat. *Vit.*, l. I, c. XVIII.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut circulus aureus in naribus suis, sic mulier pulchra, et fatua; perinde enim pulchritudine sua abutetur, eaque in luto luxuriæ se volutabit. *Prov.* xi, 22.

Sicut nemo sentit, qua parte calcæus stringat, nisi qui eo indutus est; ita nemo novit ingenium mulieris, nisi qui cohabitata illi. *PLUTARCH.*, in *Mor.*

Sicut magnes trahit ferrum; ita mulier terrea licet virorum corda ad communionem voluptatis trahit. *S. BASIL.*, hom. de *Virg.*

DAMNUM. — Sicut flores spinarum admodum suaviter spirant, sed pungunt eos qui negligenter carunt; ita mulierum pulchritudo alacriter redolet, sed fere offenditur, qui illis imprudenter utitur. *TAIVER.*, in *Apoph.* 143.

ASCETICA.

Quatuor sunt, quæ circa hanc materiam præcipue observare debet Asceta. Primum est, ut, quantum fieri potest, omnem cum hoc sexu consuetudinem, et familiaritatem penitus abscindat? eumque in finem, memorabilem S. Hieronymi sententiam ob oculos semper habeat: Quid tibi necesse est in ea versari domo, in qua necesse habeas quotidie, aut perire, aut vincere? quis unquam apud viperam securus somnum capit? quæ etsi non percutiat, certe sollicitat. *S. HIER.*, *Ep.* XLVII.

Alterum est, ut, ubi charitas aut necessitas ejusmodi conversationem aut cohabitationem suaserit, cum magna cautela eam suscipiat; nimum enim præceps est, qui transire contendit, ubi alium conspexit cecidisse. Neque fidat sibi, si cum vetulis agendum erit, nam etiam ab his periculum imminere, pulchre quondam Abbas quidam Monachis suis ostendit, dum omnes ancillas et lotrices a Monasterio removit, et Monachis propterea, quod vetulae essent, murmurantibus, cenam probe salitam cum modico potu apposuit. Qui cum ingenti siti accensi, defectu frigida, aquam e limoso stagno biberent, Abbas id advertens, dixit, eodem modo rem cum concupiscentia se habere, quæ, ubi cum virginibus satiare non potest, in vetulis quærit satietatem. *Vita PP.*

Tertium est, ut non timeat inordinate spirituale damnum, si tria hæc concurrant. 1. Superiorum voluntates id jubentium. 2. Pura intentio, nullum ex conversatione solatium aliud, quam Dei gloriam, et animarum salutem quærens. 3. Si omnis levitas, et nimia libertas agendi absit. Ob quas causas P. Baltassar Alvarez dicebat, securitatem in agendo cum proximis, cum ex obedientia fit, esse valde magnam, adeo ut, si quis obediendi causa infames feminas accederet, ut illas Christo lucraretur, cum his agens mundissimas haberet cogitationes, quasi Angelus Dei; at si ex propria voluntate in cubiculo suo maneret, fœdis ibi cogitationibus uteretur. *Vita*, c. III.

Quartum est, ut non facile committat alicui mulieri secretum, quod aliis divulgari nolle; ita enim jam olim Propheta Micheas monuit, dicens: Ab ea, quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui. Hinc jam olim Censorius Cato dicebat: trium se penitentie tangi. 1. Quod iter fecisset mari, cum terra potuisset. 2. Quod idem non condito testamento transeisset. 3. Quod secretum feminae commisisset. *MICH.* vii, 5, *Plut.* in *Caton.*

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Quod mulieres debeant esse subdite viris, vel ipsa etiam natura docuit, dum in ipsis quoque brutis masculinum prætulit, et draconem ac gallum gallinæum crista, cervum cornibus, leonem jubeis, et

ciadam marem canora voce instruxit. *ALLEN.*, l. XI, c. XXVI.

Turpe semper existimatum est, regi a femina; hinc Cato dedecus hoc exprimere volens in Romanis, dixit: mulieres regunt nos, nos Senatum, Senatus Romam, Roma orbem; ergo mulieres orbi dominantur. *ANTON.*, in *Meliss.*, t. II, f. 34.

Majores nostri nullam ne privatam quidem rem agere feminas sine auctore volebant, sed in manu esse virorum.

Mulier Hebræa, fœdati conjugii suspitione apud maritum laborabat. Nec vana erat suspicio: nam revera inquinatæ mulier eo scelere, cujus sola suspicio ad maritum pervaserat. Is igitur justo dolore sancius postulat uxorem ex lege Domini ad præstandum coram Synagoga Præsidi juramentum, de servata thori fide, simulque poculum aqua zelotypiæ refertum hauriendum, hisque omnibus diris subjiciendam, quas mystes ex lege imprecatum uxori fœdissime. Mulier sibi male conscia, actu et arte feminea excogitat devitandi perjuri dolum. Componit se in cunis, ibique se ab ancilla herilis ædifici nescia, agitari aliquandi mandat. Ubi satis visa sibi infantem fluxisse, maritum de concepta suspitione blande arguens, constantiam animi, et æternam erga eum benevolentiam fide præferens, irruit in ejus collum palam omnibus, et osculum figit, innocentiam infeliciter appetitam contestata. Inde ad judicii Præsidem advolat, et juramentum rite concipit, omni se viro, præterquam suo, intactam, ex quo e cunis excessisset. Credita est simpliciter agere, ac dicere, et pro innoxia pronuntiavit; præsertim ex quo vires poculi, jam emortuæ, ana cum lege veteri, nihil in mulierem valuisse sunt deprehensæ. Sed Deus fraudulenta æquivocatione non est delusus, sicut homo judex, et corniger maritus. Mox enim mulier rem totam non absque tutela per audientes detestatione patefecit. *THEOPH.*, in *Prat. spir.*, § 97.

In urbe monasterio mulier falso rumore de viri obitu disseminato, secundas nuptias celebravit præproperis votis. Nam vir hand ita multo post inexpectatus revenit. Mulier et prioris viri regressum peritæ, et posteriores nuptias discussu ostro, ex quo celebratæ fuerant, jam fastidians, consilium suscepit, et atrox, et nequitia refertum. Monet maritum secundum (revera procum) ut una secum ad tollendum de medio im-

portunum gaudiorum utriusque interpellatorem, accingatur. Sic nuptias initas ratas fore. Pellectus serophæ illius monitis alieni thori conspurcator, consensit in iniquitatem, et scelus patravit administra, et urgente muliere, a qua veri mariti cadaver, sacco inclusum, sub noctem cruenta sarcina humeris viri suffecti, imo proci, est imposita; sed ita, ut extrema sacci ora cum miseri vectoris extimo indumento consueretur. Quare ille dum in præterfluentem Isaram, e loco edito sarcinam excussit, magna totius corporis successione ac nisu, una cum sacco valde exulso, devolvitur in profluentem, et perit lena decreto Senatus Sabaudiensis ante paucos menses, quam hæc scribimus, ana cade, quia pluribus non poterat, utramque expiavit. *Is.*, § 34.

Haud procul Lugduno mulier, quæ mariti superstitis insigni amore flagrarat, eo vita functo, inconsolabiliter moerens, captivitate sibi orbitatis solamen ex demortui capite, quod tumulo educi, appensa pro statu suo hand exigua pecunia impræavit, exacto jam semestri a tumulatione. Caput sic a trunco avulsam, mulier scrinio diligenter obserato inclusit, et per singulos dies quam frequenter recluso, prehensum affabatur, ac suaviabatur. Postea vero inflammatio per satanam foco, idem caput impuri amoris ignitabulum, in lecto simul cubiturnum collocavit. Hæc per aliquod tempus sic gesta sunt; sed non ita multo post, pro capite, corpus hominis integrum sibi accubare deprehendit; quod illecebrosum cum ea affatibus agens, maritum se quondam ejus esse, lasque sibi esse tamquam viro, ab ea, quæ juris mariti sunt, exigere, significavit. Annuat mulier, et per tempus satis diuturnum perrexit in scelere, rata sibi fas esse, propudiosum commercium cum reduce quondam viro exercere, qui fuit error admodum crassus. Nam præterquam quod nonnisi vana species viri quondam sui erat, cui illa faciebat sui copiam, etiamsi verus quondam vir revivisset, tamen conjugii vinculo per mortem disrupto, nefas mulieri fuisset, redivivum excipere tamquam virum, nulla facta de novo conjugii celebratione, iis adhibitis, quæ ad conjugium legitimum inendum desiderantur. Itaque nefaria omni ex parte fuit ea vidua commistio. Tandem vero conscientia miseram fodicante, accessit ad avi nostri in his oris Holdam, eique sincere totum negotium re-

textit : hæc ut est cum Deo conjunctissima, et malignitatum satanæ bene intelligens, dedecuit viduam, a qua consulebatur, et prætensum conjugem diabolum esse, sub demortui mariti specie, confirmavit; gravissime contestans, non esse ultra ei consuescendum, vel si mors oppetenda esset, et quantvis cruciatus subeundi; præteritam vero noxam sincera confessione expiandam esse. Excepit bono animo vidua salubre monitum; itaque domum regressa, reverentem satanam, et criminis commercium continuare tentantem generose abiecit. Quare exacerbatus femine obfirmatione diabolus, blanditias in furorem vertens, misellam dire exercuavit. Rediit illa ad Holdam suam, et quam male cessisset, auscultare sano consilio, exposuit. Confirmante Holda, perstandum esse in sancta obfirmatione, spiritus nequam crudelius, et acerbis miseram mulierem excepit; ita ut ejus constantia pene flecteretur, et statueret reverti in id ipsum potius quam dire flagellationi obnoxia esse. Quin etiam agens cum Holda, ab inconspicua manu alapam excepit, adeo vehementer impactam, ut conquereretur miserime. Holda ad vacillationem mulieris ad rependendum scelus inclinantis, interpellavit Deum, ut loco viduæ consultricis, dæmon firrorem in ipsius Holdæ corpus vertere sineretur. Exinde, vidua consultrix immunis a satanæ vexatione fuit. Sed Holda impacto gravi colapho, mulctata primum est : tum per undecim consequentes dies ac noctes, vix ulla interposita quiete dire vexata, exactis autem iis, quos dixi diebus ac noctibus, Holda quoque indemnis fuit a demoniaca infestatione. *Id.*, § 6.

Cum Kemethus Rex Scottorum Eruthlimum Fenellæ filium simul etiam Malconum Druffum Regem, et affinem Fenellæ occidisset; illa statuum mira arte fabricari jussit, in cuius manu aureum pomum gemmis refertum erat, quod quicumque tetigisset, statim multis jaculis confodiebatur : eo Regem nil tale suspicantem invitatum in Festicarii oppido, versipellis femina interim. *CARD., de Rerum variet.*, l. XII, c. LVI.

Non procul a Beneventana Hispaniæ urbe uxor rustici cujusdam pertæsa male tractationis, quod sterilis esset, nocte quadam aufugit, et in veste virili, ceu famulus domesticus variis locis servivit : donec sexum in se mutatum sentiens, uxorem duxit, clam priori viro, tandem a quadam, qui

illam prius noverat, agnita et rogata rem omnem enarravit. *DELRIO*, l. III, *disq.* q. 2.

Olaus Wormius in Museo Wormerario l. IV, c. XII, ait fuisse Coppenhagii in Dania feminam Anglam gente, Elisabetham nomine, quæ anno 1620, calamo, cum brachiis careret, ore sumpto nomen suum chartæ inscripsit; ore præterea nevit eleganter, filum lingua acui intrusit, et alia multa munia manibus propria executæ est ore. *OLAUS*, *Wormius*, l. c.

DAMNUM. — B. Gualterus e Fratrum Minorum Ordine sæpius a nobili virgine Maria Garcia rogatus, ut veniret ad suas ades, renuit; tandem venit toties fatigatus precibus; sed ut una manu gestans ignem, altera siccam paleam, quam ut propius admovit, igne concepto in cineres abiit. Tunc vir sanctus, « scias velim, ait virgini, quod paleis ignis est, hoc Religiosis esse mulierum alloquia. » Dixit, et rubore suffusa mulier se subduxit, et Gualterus discessit. *WADING*, t. I, *ann. Minor.*, an. 10.

Juvenis Eremita, qui in eremo a pueritia nutritus fuit, ivit cum Abbate suo ad civitatem. Et cum vidisset mulieres in chorea; et quid essent, ab Abbate quaesivit sollicite. Cui Abbas : Anseres sunt. Et reversus puer ad claustrum flere coepit. Cui Abbas : Fili, quid vis? Pater, volo comedere de illis anseribus, quos in civitate vidi. Tunc Abbas convocatis fratribus dixit : Considerate, fratres, mente sollicite quam periculosus est mulieris aspectus. Nam hic innocens puer, qui prius mulierem non viderat, in eremo nutritus fuerat; et solo visu mulieris igne carnalis concupiscentiæ est accensus, et inflammatus. Unde nihil tam damnosum bonis moribus, quam in aliquo spectaculo residere, et mulieres sollicite inspicere. David enim oculos suos injecit in mulierem, et illicito appetitu ductus homicidium et adulterium perpetravit : et nisi incaute mulierem respexisset, in tantam tentationem carnis minime incidisset.

Senex quidam dicebat juveni Religioso : Charissime, attende, quia sal ex aqua est, et si appropinquat aquæ, continuo solvitur, et deficit. Et Monachus similiter ex muliere est, et si appropinquat mulieri, solvitur et ipse. *SOPHRON*, l. X, *Vit. PP.*, c. CXXVII.

Non male cecinit quidam :

Adam, Sampsonem, Petrum, Davidem, Salomonem,
Decepit mulier : quis modo tutus erit?
S. HIER., in *Ep. ad Nep.*

Aristippus mulierem parvam conspicuam, sed pulchram : Parvum quidem pulchrum, inquit, sed magnum malum. *ANTON.*, s. de *Mul. fortit.*

Democritus interrogatus, cur magnus ipse parvam uxorem duxisset? respondit : In malo eligendo minimum elegi. *Id.*, s. de *Mul. imp.*

Protogoras quaesitus, cur inimico suo filiam uxorem dedisset? respondit : Quia nihil ei deterius dare poteram. *IBID.*

Secundus interrogatus, quid esset mulier mala? respondit : Viri naufragium, domus tempestas, quietis impedimentum, vitæ captivitas, quotidianum damnum, voluntaria pugna, sumptuosum bellum, bellua conviva, sollicitudo confidens, læena complexens, exornata scylla, animal miltiosum, malum necessarium. *MAX.*, s. 9.

Quibus gradibus mulier trahat in ruinam, non male quidam explicavit sequentibus versibus :

Post visum, risum : post risum venit ad usum :
Post usum ad tactum : post tactum venit ad actum.
Post actum, factum : post factum ponit actum.
ENGELER, *Embl.* XLI, § 1.

Nec imperite quidam de Sampsonem :

Lenam non potuit, potuit superare Lenam :
Quem fera non potuit vincere, vincit hera.
IBID.

AUCTORES.

Nicolaus Lancizius, opusc. II, c. IV, et opusc. XIII, l. III, c. VIII.

Henricus Engelgrave, part. I *Lucis Evangelicæ*, *Embl.* XLI.

Mathias Faber, conc. III, in *Festo SS. Simonis et Jude*.

Joannes Busæus, de *statibus Hominum*, tit. *Virginitatis et Viduitatis status*.

Jacobus Marcantius, in *Horto Past. Virgæ Aaronis*, tr. IV, lect. VIII.

Laurentius Beyrlinek, in *Theatro vitæ humanæ*, V. eodem.

Josephus Langius, in *Polyant.* V. eod.

MUNDUS.

QUOD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est, prout hic accipitur, vitiosa, et misera naturæ humanæ conditio, ex peccato primi hominis et parentis contracta. Unde S. Joannes dicit : Scimus quoniam ex Deo nati sumus, et mundus totus in maligno positus est. *JOAN.*, v. 19.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Mundus transit, et concupiscentia ejus. Omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ, quæ non est de Patre, sed ex mundo est. I *JOAN.*, II, 17.

FUGA. — Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. *Id.*, xv.

Nolite confirmari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri. *ROM.*, II, 2.

Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, qui se probavit. II *TIM.*, II, 4.

Adulteri, nescitis, quia amicitia hujus mundi inimica est Dei? quicumque ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur. *JAC.*, IV, 4.

Unusquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum : si autem Baal, (id est, mundus) sequimini illum. III *REG.*, XVII, 23.

Tempus breve est, reliquum est ut sint, qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur; præterit enim figura hujus mundi. I *COR.*, VII, 29.

Recedite, recedite, exite hinc, pollutum nolite tangere; exite de medio ejus, mundamini, qui fertis vasa Domini. *IS.*, LII, 11.

Exite de illa, popule meus, ut ne participes sitis delictorum ejus, et de plagis ejus non accipiatis. *APOC.*, XVII, 4.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Mundus transit, et concupiscentia ejus. Quid vis? utrum amare temporalia, et transire cum tempore? an Christum amare, et in æternum vivere? S. AUG., *sup. Ep. Joan.*

Fallax est hic mundus, finis dubius, exitus horribilis, iudex terribilis, poena infinita. PETR. BLES.

In hoc mundo non timere, non dolere, non laborare, non periclitari impossibile: sed plurimum interest, qua causa, qua expectatione, quo animo quisque patiatur. AUG., *ad Dioscor.*

FUGA. — Discite in hoc mundo supra mundum esse, et si corpus geritis, volitet in vobis ales interior. S. AMB., *l. de Virg.*

Sancti viri, qui nihil hujus mundi appetunt, procul dubio nullis tumultibus in corde prementur. S. GREG., *l. VI Mor.*

Si Christus pro te cœlesti sede descendit, tu propter ipsum fuge terrena. Si dulcis est mundus, dulcior est Christus. Si amarus est mundus, omnia pro te sustinuit Christus. S. AUG., *de Mund. contempt.*

O amatores mundi, cujus rei gratia militatis? major non poterit esse spes vestra in mundo, quam ut amici mundi sitis. Ibi quid nisi fragile, plenum periculis? et per quot pericula pervenitur ad majus periculum? pereant hæc omnia, et dimittamus hæc vana et inania, conferamus nos ad solam inquisitionem eorum, quæ finem non habent. ID., *l. Confess.*

Mundus clamat: ego deficiam. Caro clamat: ego inficiam. Diabolus clamat: ego decipiam. Christus vero dicit: ego reficiam: et tamen superba mens magis sequi vult deficientem, quam reficientem. S. BERN., *in Ep.*

Mundus iste periculosior est blandus, quam molestus: magis cavendus, cum se alliciat diligi, quam cum admonet, exigique contemni. S. AUG., *ad Dioscor.*

Primus Adam pelliceis vestitur tunicis; pannis secundus involvitur. Non est tale iudicium mundi. Aut iste fallitur, aut mundus errat. Sed divinam falli impossibile est Sapientiam. Et paulo post: Christus utique, qui non fallitur, elegit, quod molestus est; id ergo melius, id utilius id potius eligen-

dum. Et quisquis aliud doceat, vel suadeat, ab eo tamquam seductore cavendum. S. BERN., *s. v. de Nat.*

Cui Christus incipit dulcescere, necesse est amarescere mundum. BERNARD, *de Serm.*

Mundi amor et Dei pariter in uno corde habitare non possunt, quemadmodum oculi pariter cœlum et terram nequaquam conspiciunt. CYPR., *xii. de Abus.*

DAMNUM. — Vincula hujus mundi asperitatem habent veram, jucunditatem falsam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miseriae, spem beatitudinis inanem. S. AUG., *ap. LANG., in Polian.*

Ecce jam in seipso mundus aruit, et adhuc in nostris cordibus floret, ubique mors, ubique luctus, ubique desolatio, ubique percutimur, ubique amaritudine replemur, et tamen cæca mente carnalis concupiscentiæ ejus amaritudines amamus, fugientem sequimur, labenti inhaeremus, et quia labentem retinere non possumus, cum ipso labimur, quem cadentem tenemus. S. GREG., *in Hom.*

Mundus est, ubi malitiæ plurimum, ubi sapientiæ modicum, ubi omnia viscosa, omnia lubrica sunt, omnia opera tenebris, et obsessa laqueis, ubi periclitantur animæ, et affliguntur corpora, ubi omnia vanitas et afflictio spiritus. S. BERN., *in Serm.*

Mari juste comparatus hic mundus, quia falsitatibus amarus est fluctibus diabolicis quatitur, vitiorum tempestatibus commoveatur. CASSIO., *sup. Ps. XLIV.*

Qui transeuntia amplectitur, eo ipso ad decursum ducitur, quo decurrentibus implicatur. S. GREG., *in Mor.*

Despiciendus a nobis hic mundus foret, etiamsi blandiretur, et rebus prosperis demulceret animum; at postquam tot flagellis premitur, tanta adversitate fatigatur, tot nobis quotidie dolores ingeminat, quid nobis aliud, quam ne diligatur, clamat? IDEM, *in Dial.*

EXEMPLA.

FUGA. — Paulus, quantopere mundum oderit, ipsemet testatur dum ait: Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. GAL., *vi. 14.*

Petrus Consalvus, dum quadam die equo superbe vectus per urbem cum sodalibus incederet, subito ab equo in subjectum lutum excussus est, ex quo extractus cum a pueris et plebe circumstante affatim ridere, rubore suffusus, sibi que iratus dixit: Quandoquidem o mundo, cui tam graviter servivi, sic a te tractor, ego quoque te, ut mereris, tractabo. Itaque eo momento decrevit, se Deo in Religione aliqua famulaturum, quod paulo post in Ordinem S. Dominici receptus præstitit. PLAT., *l. III, c. xxxviii.*

S. Arsenius cum ex aula Theodosii, conspecta mundi vanitate, in solitudinem secessisset, ab Arcadio humanissimis litteris, et totius Ægypti vectigalibus promissis ad aulam invitatus est. Sed is nec rescribere dignatus, hoc solum renuntiari jussit: Det veniam Deus nostris erroribus: ego quidem mundo mortuus sum, pecuniam construere mei muneri non est; neque enim mortui nummos tractant, æterna cogitare, id unum ad me spectat. Cum vero postea Magistratus e paterna domo testamentum illi afferret, quo hæres ex asse scribebatur, respondit: Ego prius mortuus sum, quam Pater meus: qua ergo ratione mortuum mortuus hæredem scribit? tolle quidquid hoc scripti est, et abi. ZACHAR. LIPELOUS, *19 julii.*

S. Alexius ipsa nuptiarum suarum die a paterna domo profugus, et post aliquot annos rediens, sub specie mendici usque ad mortem delituit, raroque, sed pulcherrimo exemplo, mundo illisit. IDEM, *17 julii.*

Idem S. Joannes Calybita fecit, qui ut mundum, diabolumque reditum ad parentes et patriam assiduo suadentes generose vinceret, rediit quidem, sed mendicorum assumptis vestibus, sique incognitus in paterna domo usque ad mortem latuit. ID., *jan.*

S. Gallicanus Romani Dux exercitus, post Sauronatas, Gothos, et plures alios populos domitos, Constantiam Constantini Augusti filiam matrimonio sibi locatam, cum immensis opibus reliquit, et ex urbe ad ostia Tiberina secedens, hominum infirmorum servitius se totum addixit. Cujus rei fama divulgata, undique multi illic confluerunt, ut viderent Patrieum, Consularem, Triumphalem, Imperatoris generum ad infirma ministeria abjectum. Quod mundi contemptu Gallicanus effecit, ut postea pal-

mam Martyrii Alexandriae sit confectus. BARON., *ann. 330 et 332.*

Cunigundis Augusta Henricii II, Imperatoris conjux, et virgo sanctissima, Conrado sibi succedente in Regno, curis secularibus, sicut jam diu desideraverat, exonerata, jam in ipso anniversario die transitus S. Henrici, Archiepiscopus ad dedicationem Confulgiensis Ecclesiæ convocavit, ubi inter Missarum solemniam Imperiali decentissime omni ornatu culta, ante principale altare Virgo Deo devota processit: ibique thesaurum incomparabilem ligni videlicet Dominici crucem, parvam quidem in materia, sed maxima in virtute Domini obtulit. At ubi lectio Evangelii (quod dici consuevit ex præscripto sacerdotum ritum in dedicatione alicujus Ecclesiæ) in qua super arborem Sycomorum ascendens, conspiciendum se Jesum suscipere, et ab eo benedictionem Zachæus pusillius meruit accipere, lecta fuit, regalem purpuram exuens, tunicam fusciorum, quam ipsa sibi manibus suis operata fuerat, Sacerdotali benedictione data, vestem religionis induit, et multis quidem pro se flentibus, pro illa autem gaudentibus, quæ jam sæculum damasset in vestibus, capillis, qui huc usque in eodem monasterio pro veneratione servantur, præcis, imposito sibi ab Episcopo velo, annulo fidei subarrhata gratulabunda concinnuit: Posuit signum in faciem meam, etc. Et annulo suo subarrhavit me Dominus Jesus Christus. Ita sponso Christo consecrata, dum filiarum suarum se sanctissimo contubernio applicuisset, non ut mater filiarum se præferbat, sed omnibus inserviens servilem personam se ostendebat; ita tamen ut cum omnia faceret ostentationem fugeret singulorum, non reciperet in presenti sæculo mercedem suam. *In Vita ejus apud STRUUS, 3 mart.*

Anno Christi Domini 855, Lotharius Imperator relicto Imperio, atque Regno diviso, Ludovico Italiam, Lothario Regno quod in Francia possidebat, præterquam Provinciam, quam Carolo tradidit, dedit, cæterisque rebus cunctis bene dispositis, ablicans se ab omnibus mundanis curis, Primiæcense ingressus est monasterium, ubi coma deposita habitans, sanctæ religionis accepto habitu fit monachus, in eoque spiritu Deo reddidit IV kalend. octobris. Sive ut alii tradunt VI kalend. ejusdem. BARON., *h. x. Ann.*

Anno Domini 920, Ugo, qui simul Provincia Rex, idemque Imperator, multis rebus bello præclare gestis, multis cumulatatus victoriis, amplissimo denique cœnobio adificato, ipse quoque in eo Christi humilitatem complexus, mundum reliquit, et imperatorias opes ac purpuram cum vili tunica et solitaria cella libentissime comutavit. PLAUT., l. II, de *Bono stat. relig.*, c. xxvi.

INCONSTANTIA. — Carolus Tertius Imperator dictus Crassius, Francofordiæ dejectus ab Imperio, dejectus ab omnibus etiam familiaribus triduo integro, fame periisset, nisi Luitbertus Moguntinus Archiepiscopus hominis fortunam miseratus, aliquot diebus illum pavisset. Is postea ab Arnulpho successore suo saltem victum postulans, pagum aliquem in Suevia, Neyding dictum, pro se alendo obtinuit. AVENT., in l. IV BOLL., *Annal.*

Boleslaus III Rex Poloniæ ob interemptum S. Stanislaum conscientie stimulis excitatus, et omnibus exosus, ex regno profugit, tandem in Monasterio Carinthiæ, Osiach dicto, occultus ministeria culinae obîsse scribitur. MICHOV., l. IV *Her. Polon.* c. xx.

EXEMPLA PROFANA.

INCONSTANTIA. — Sejanus Consul sub Tiberio Imperatore tantæ fuerat auctoritatis, ut illo absente Romæ Imperatorem ageret, aureoque in curru veheretur. Sed subito ad illum litteræ sunt allatæ, quibus cum speraret dignitatem suam tribunicia potestate actum iri, jussus est in vincula conjici, capite plecti, unco trahi, et in Tiberim præcipitari. DRONYS., l. LVIII.

Pertinax Imperator (sic dictus, quod imperium oblatum pertinaciter recusasset), primum Grammaticam professus, postea alimenterum Procurator, inde Consul designatus, demum Africæ Proconsul, et ex hoc Imperator a militibus electus, vix octoginta dies imperium tenuit, et ab iisdem militibus occisus est. FAB., conc. IX in *Dom. 3 Advent.*, n. 1.

Belisarius post ingentes de Barbaris victorias reportatas, demum a Justiniano Imperatore oculis orbatus, e tuguriolo a prætereuntibus stipem rogavit, dicens: Viator,

obsecro, da obolium Belisario, quem invidia cæcavit, non culpa. DREX., p. I *Ros.*, c. XII, § 8.

Plautianus Antonini Cæsaris socer, opulentissimus ac potentissimus, filia dote[m] dedit, quæ Reginis quinquaginta suffecisset. Sed et populo magis, quam ipse Imperator erat formidabilis. Vox omnium una erat, cælum prius ruiturum, quam socero Imperator noceret. Sed vires, ut fit, verterunt; nam Plautianum cædis structæ insimulatum Antoninus in palatio occidit, nomenque illius ex omnibus monumentis ac tabulis eradi jussit. Sed et filium ejus Plautum ac Plautillam filiam in Lyparianis exulare, et paulo post occidi jussit. BARON., *an.* 203.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut parvuli nutricem magis amant matre; secus vero, ubi adoleverint, et matris atque Nutricis discrimen agnoscunt; ita qui sensu ac judicio parvuli sunt, mundum magis, quam Deum diligunt; secus vero, qui sensu et ratione in spirituales viros evaserunt. GRAN. in *loc. comm.* f. 636.

Sicut aulea ex lana, serico et auro contexta intus deformia, exterius vero formosa ac pulchra sunt; ita felicitas Principum exterius nitet, et fulget; interius autem mille curarum ac miseriarum aculeis laceratur, quas nemo sentit, nisi qui patitur. IB., f. 637.

Sicut pueri ranas piscantes pellem ranæ filo alligatam escam obijciunt, et, ubi eam aliqua cum hamo deglutierit, occidit, et escam ex ore detractam aliis obijcit, pluresque capit; ita mundus divitias et dignitates aliis ereptas, aliis obijcit, sique unum post alterum hamo suo in mortem trahit. BELLARM., conc. XVII.

Sicut caupones hospitem divertentem peramanter et humane excipiunt, et optima quæque promittunt, sed in discessu eam symbolam severo vultu rigorose exigunt; ita mundus ab initio quidem amatoribus suis blanditur, sed in fine gravissimis suppliciiis hære gustatas delicias cogit. IB., c. XI.

Sicut nucem pauca leviter commota multum edunt strepitum, sed triplicem habent

corticem amarum, qui detrahi debet, antequam comedantur; ita mundi deliciae quidem a sollicitudine, sed triplices habent dolores ac sollicitudines in acquirendo, conservando, ac perdendo. FAB., conc. II, in *Dom. 1 Quadr.* n. 2.

Sicut is, qui thesauro in arca clauso ostenso, clavibusque diversis, quarum aliqua ferrea, et ad aperiendum apta, altera aurea, et ad reserandum inepta foret, oblati, auream eligeret, merito insipiens crederetur; ita qui voluptates hujus mundi velut clavem auream, sed ad reserandum cœli thesaurum ineptam præferunt crucibus et tribulationibus, quæ ferreae quidem clavi, sed ad cælum aperiendum aptæ comparantur, merito decipere dicuntur. STAPLET., t. II, in *Dom. 9 post Pent.*

Sicut deficientibus lignis deficit ignis; sic quia mundus transit, et concupiscentia ejus, haud dubium, quin et lætitia quoque transeat. S. BERN., s. IV, in *Oct. Epip.*

FUGA. — Sicut turpe est, virum ætate provecum in pulvere considerentem puerilia opera facere; ita non minus turpe est, eos, qui de rebus alterius sæculi perfruentis deberent esse solliciti, in rerum terrenarum pulvere volutari, et studiorum turpitudine, possessionis suæ fodare perfectionem. S. NILUS, in l. *Aset.*

Sicut nemo non aversatur Judam falso Christum osculo prodentem; ita nemo quoque non fugere deberet mundum, falsis amatores suos deliciis decipientem, et diabolo prodentem. FAB., conc. VII, in *fer. Cen. Dom.* n. 2.

DAMNUM. — Sicut sanguis veneno infectus ad cor velut præsidium confluit, et propterea, unde remedium sperabat, exitium parat; ita mundi amatores, dum ex falsis voluptatibus summam sibi felicitatem pollicentur, perpetuum sibi interitum conciliant. STAPLET., the. II, in *Domin. 9 post Pent.*

Sicut ii, qui in aquis merguntur, quidquid in manu tenent, nullo modo dimittunt, sed secum submergi cogunt; ita qui rebus mundanis immersi sunt, ea, quæ tenent, nunquam dimittere volunt, sique nunquam ad Christum vocati veniunt. IB., th. v, in *Dom. 19 post Pent.*

Sicut, qui picem aut viscum vel leviter tangit, inquinatur, et difficulter iterum a se amovere potest; sic vix possibile videtur, ut, qui semel mundo adhasit, ab eo non in-

quinetur, iterumque ab eo liberetur. JOS. LANG., in *Polia. v. eod.*

Sicut David indutus armis Sanlis incedere non poterat, nec contra Goliathum pugnare; sic armis mundi indutus, id est, negotiis secularibus se implicans Deo militare contra dæmonem non potest. STAPLET., l. c.

Sicut nemo, qui Patriam nimis diligit, peregrinæ regionis studio tenetur; ita nemo ad cælum aspirat, qui hujus mundi illecebris delectatur. TRIVET., *apoph.* 30.

MOTIVA.

AD FUGIENDUM MUNDUM. — Exemplum Christi: quia omnia mundo contraria elegit. Aut ergo mundus errat, aut Christus fallitur? atqui hunc, cum sit infinita sapientia, falli impossibile est; ergo mundum errare necesse est. S. BERN., ser. 3, de *Natio.*

Exemplum sanctorum: quos Mundus constanter odio habuit; unde ilud Christi eisdem convenit: Si de mundo fuissetis, mundus, quod stum erat, diligeret. Quia vero de mundo non estis; sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. JOANN., xv, 19.

Fallacia Mundi: imitator enim factum Joabi, qui, dum Amasam amice salutavit, et manu dextra mentum ejus, quæ osculans tenuit, sinistra gladium ejus lateri infixit. Unde et ob eandem fallaciam a nonneme mundus anteriori parte pulcher admodum, a tergo vero turpissimus conspectus est. II REG., XX.

Vanitas mundi: quam, si ullus, et cognovit, et explicavit Salomon, dum dixit: Omnia, quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, et oblectaret se in his, quæ paraveram. Cumque me converterissem ad universa opera, quæ fecerant manus meæ, et ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem, et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole. ECCL., II, 10.

Inconstantia mundi: transit enim mundus, et concupiscentia ejus, unde non male mari ab aliquibus comparatur, quod modo tranquillum est, et ad navigandum invitatur; modo a ventis concitatum, fluctibus omnia involvit. I JOAN., II, 17.

MEDIA.

Christi amor : nam, ut S. Bernardus ait, cui Christus incipit dulcescere, necesse est amarescere mundum, S. BERN., in *serm.*

Cœlestium honorum amor : uti S. Gregorius suavitatis his verbis : Si consideramus, Fratres charissimi, quæ et quanta sint, quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescunt animo omnia, quæ habentur in terris. S. GREG. in *Registro.*

Vanitatis mundanæ consideratio : nam, ut sapienter S. Bernardus advertit, ad imaginem Dei facta anima rationalis, cæteris rebus occupari potest, repleri non potest. Hinc et alibi ait : Dic mihi, ubi sunt amatores mundi, qui ante pauca tempora nobiscum fuerunt? nihil eis ex remansit, nisi cineres et vermes. S. BERN., in *serm. Ecce nos reliquit.* IDEM, in *Medit.* Ideo, teste Stapletono, Jacob, cum nasceretur, tenuit fratrem Esau in planta pedis, quia justus et electus Dei considerat peccatum, et mundi vanitatem in fine suo. STAPLET., cap. II, in *Domin. 9 post Pent.*

ASCETICA.

Quatuor sunt, quæ de hac materia considerare debet Asceta. Primum est, ut firmiter sibi, aliisque persuadeat id, quod unanimiter SS. Patres et Ascetæ docent, et cum illis S. Cyprianus dicens : mundi amor et Dei pariter in uno corde habitare non possunt, quemadmodum oculi pariter cœlum et terram nequaquam conspiciunt. S. CYPR. de 12 ab. Quod idem confirmat S. Hieronymus : Difficile, ait, imo impossibile est, ut præsentibus quis et futuris fruatur bonis, ut hic ventrem, et ibi mentem impleat, ut de deliciis transeat ad delicias : ut in utroque sæculo primus sit, et in cœlo ac in terra appareat gloriosus. S. HIER., in *epist.*

Alterum est, ut certo sibi persuadeat, non posse se Christi discipulum esse, nisi et mundum odisset, et ab ipso haberi velit; sic enim ipse Christus prædixit : Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret. Quia vero de mundo non estis, sed ego ele-

gi vos, propterea odit vos mundus. JOAN., xv, 9.

Tertium est, ut sciat, quid sit relinquere mundum, nempe relinquere ea, quæ quarunt mundani, puta voluptates, divitias, et honores et similia. Deinde relinquere modum imperfectum, quo mundani opera ad cultum Dei et proximorum spectantia peragunt. Et tandem relinquere finem, propter quem mundani plerumque sua opera peragunt, scilicet proprium commodum et amorem. Hoc modo enim impletur concilium Apostoli suadentis, ut mundo tamquam non utentes utamur. LANGI., *opusc.* 21.

Quartum est, ut studeat non quocumque modo recedere a mundo, sed ita, ut eodem, aut majori fervore quo prius mundo serviebat, deinceps Deo serviat, juxta consilium S. Augustini dicentis : Amorem vestrum purgate, et quales impetus habeatis ad mundum, tales habeatis ad Artificem mundi. S. AUG., in *Ps. xxxi.* Quod ipsum etiam suadens S. Chrysostomus : Vivamus, inquit, Deo paululum, qui sæculo vivimus toti : dedimus corpori annum, demus animæ paucos dies. Tempus est, ut aliquando tibi, domique tuæ provideas. S. CHRYS., s. 12.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Cor humanum mundi illecebris deditum, et carnalibus desideriis æstuans, a diabolo succensum et fervens per consensum, olæ succensæ simile est, quia, licet tot undas quasi fervescendo projiciat, quot nequitiis desideriorum ad opera exteriora extendit, tamen exundat, dumtaxat non abundat. S. GREG., xviii, *Mor.* c. II.

Cynicus Philosophus testamenti sui tabulis cavet, ne se supinum, sed dorso cœlum versus tumularent, eo quod censeret, universam orbis machinam inversam esse consideret tamen, rursus aliquando convertendam, et tum se oculos ad cœlum erectos habiturum. ENGELGR., p. I, *Luc. Ev. Embl.* 12.

In Ægypto nemo aratorum cœlum aspicit, eo quod terra non a cœlo per pluvias, sed a Nilo fluvio exundante irrigetur; idem faciunt mundi amatores, quia omnia bona sua a mundo habere se putant. *IBID.*

Non male mundi vanitatem declarans Seneca : Punctum est, inquit, in quo navi-

gatis, in quo bellatis, in quo regna disponitis : hoc est illud punctum, quod inter tot gentes ferro et igni dividitur. O quam ridiculi sunt mortalium termini, cum te in illa vere magna sustuleris, videbis exercitus ire subjectis vexillis, et licebit dicere : it nigrum campis agmen : formicarum iste discursus est in angusto laborantium. SEN., *Præf. Nat. qu.*

Nihil est in rebus humanis, inquit Philo, ac negotiis præter umbram, auramque levissimam, sine mora prætervolantem. PAULO, de *Deo.*

Bobus trituranibus similes sunt mundani; quia pro mundi gloria cuncti sudoribus libenter inserviunt, et gravium laborum jugo colla devotissime submitunt. S. GREG., *ap. DREX. in Amus.*, l. I, c. ult.

DAMNUM. — Persæ Saccorum solenne hoc modo celebrant. Vincitorum, qui ad supplicium duci debent, aliquem in sella Regis collocant, et veste regia ornant, faciuntque ei potestatem delicate et molliter vivendi, regisque pellicibus per eos dies utendi, nec quisquam impedit, quo minus, quod vult faciat; completo vero tempore flagellatum suspendunt : idem fere mundus cum amatoribus suis facit. FAB., *conc. 2. in Dom. 1 Quadr.*

Stapletonus recte mundo illud Apocalypsis : Vidi in conspectu sedis tamquam mare vitreum simile crystallo, accomodatum; est enim mundus mare tumidum per superbiam, lividum per invidiam, fervidum per iracundiam, profundum per avaritiam, inquietum per acediam, spumosum per luxuriam, absorbens per ventris curam, ubi etiam major piscis minore devorat. Sed dicitur vitreum propter fragilitatem, nam transit mundus et concupiscentia ejus.

AUCTORES.

Didaeus Stella, de *Contemptu mundi.*
Ludovicus Granatensis, in *Locis communibus*, fol. 636.

Mathias Faber, *conc. 5., in Festo SS. Simeonis et Judæ* et *conc. 2. in Dom. 1 Quadr.*

Hieremias Drex, in *Rosis*, p. I, c. XII.
Henricus Engelgrave, *part. II, Lucis Evangelicæ embl.* 36.

TOMUS III,

Thomas Staplet., *the. v. in Dom. 19 post Pent.*, et *the. II, in Dom. 9 post Pent.*

Josephus Langius in *Polyant.*, v. eod.
Laurentius Beyrlinck, in *Theatro vite humanæ*, v. eodem.

Joannes Major, in *Magno speculo exemptorum*, v. eodem.

NOBILITAS.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est quædam a progenitoribus accepta claritas juxta Aristotelem. Quia tamen interdum per propria merita aut divitias acquiritur Nobilitas, ideo, ut etiam hæc comprehendatur in definitione, latius forte sic describi posset : Est quædam status eminentia seu dignitas, certis quibusdam privilegiis gaudens. ARIST., l. II, *Rhet.*

DIVISIO. — Dividitur a S. Gregorio Nazianzeno in tres species; quarum prima suam originem superne trahit, quatenus scilicet omnes ad imaginem Dei conditi sumus; et de hac recte cecinit quidam Poeta :

Si Pater est Adam eunctorum, Mater et Eva,
Omnes nonne sumus nobilitate pares?

Altera præscum sanguinem et claros natales præfert; et hæc uti summum ortum habet, ita suum interitum ignorare non potest. Tertia est, quam propria virtus et eruditio parit. S. GREG. NAZ., *ap. DREX.*, l. in *Job.*, p. I, c. I, § 2.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Generositatem (id est, Nobilitatem) illius glorificat, contubernium habens Dei, sed et Dominus omnium dilexit illam. SAP., III.

Videte vocationem vestram, Fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles. COR., I, 26.

Melior est pauper et sufficiens sibi, quam gloriosus (id est, qui se jactat ob nobilitatem) indigens pane. PROV., XII, 9.